



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita S. Liborii Episcopi, Calcvlo Laborantivm Patroni**

**Bolland, Johannes**

**Antverpiae, 1648**

Capvt V. Corpus S. Liborii è Cathedrali ad S. Vincentij aedem transfertur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9573**

C A P V T V.

*Corpus S. LIBORII è Cathedrali  
ad S. Vincentij adem transfertur.*

20. **I**Ta illius diei exordio geminatâ lætitiâ <sup>Solenni sup-</sup>  
 cælitus illustrato, infinitam populi mul- <sup>plicatione</sup>  
 titudinem sexus vtriusque atque omnis con- <sup>(cuius hîc</sup>  
 ditionis & ætatis, tam ex eâ regione, quàm ex <sup>ritus expo-</sup>  
 vicinis vrbibus, tantorum signorum latè cir- <sup>nitur) effe-</sup>  
 cumuolans fama contraxit. Celebratis verò <sup>tur sacrum</sup>  
 Missarum solennijs, accelerabat Episcopus <sup>corpus è ba-</sup>  
 sanctum illud corpus his, qui ad patriam se- <sup>sicâ maio-</sup>  
 cum delaturi erant, commendare, ipsumque <sup>re:</sup>  
 cum honore debito ex vrbe deducere, ante-  
 quàm adueniens turbarum immensitas, eo-  
 rum iter impediret. Ornatur itaque Clerus  
 omnis sacerdotalibus & ecclesiasticis indu-  
 mentis, eleuatoque feretro sanctorum pigno-  
 rum in humeros Sacerdotum, sonantibus  
 quoque signis omnium per urbem ecclesia-  
 rum, ac præeuntibus, qui sanctæ ac viuificæ  
 Crucis vexilla sanctorumque Euangeliorum  
 libros ac sacras reliquias in aureis argenteis-  
 que reconditorijs cum aromatibus præfere-  
 bant, deducitur cum ingenti cunctorum ve-  
 neratione, cum psalmis, hymnis & antipho-  
 nis, in oratorium a S. Vincentij, situm iuxta  
 portam vrbis, per quam egressuri erant.

21. Prosequabatur autem maxima multi-  
 tudo

*plebem ob  
iacturam  
reliquia-  
rum tumul-  
tuantem,*

tudo plebis: sed non minor ibidem obuiuit, quæ signorum rumore audito, vndique confluebat. Tum verò non leuis oritur contra Præsulem populi querimonia, clamantibus plurimis, magni se patrocinijs tuitione priuari, ablato à se corpore tanti Confessoris, cuius intercessione solerent ab omni aduersitate muniri. Hoc suæ regionis vnicum post Deum fuisse tutamen, hunc honorem maximum, hanc gloriam singularem. Timere se meritò posse, ne translatis eius venerandis artibus pariter nominis eius in breui veneratio memoriaque neglecta, indignos eos ipsius interuentu apud Dominum faceret. Arbitrari sese, Pastoris potiùs officio conuenire, Sanctorum pignora ad munimentum gregis sibi commissi vndecumque acquirere, quàm eorum, quæ haberent, pretiosissima quæque in alias mittere nationes.

*aptâ oratio.  
ne placat S.  
Aldricus  
Ep.*

22. Commotus aliquantùm his vocibus Antistes, & maximè lamentantis turbæ acclamatione, tandem facto silentio, populum in eadem ecclesiâ S. Vincentij ita breuiter allocutus est; Non est, inquit, æquum, Fratres, quemquam vestrùm putare, me in tantum aut commissæ mihi sollicitudinis, aut vestræ simul meæque salutis oblitum, vt hæc nostri perpetualis Patroni pignora sine certâ ratione ex hoc loco transferri permitterem. Si enim, cùm apud nos Sanctorum corpora Deo miserante satis abundet, illi populo, qui nuper

ad

ad fidem vocatus, & eorum aut parum, aut nihil penitus habens, à nobis huius suæ necessitatis solatium humiliter postulat, omnino assensum præbere dedignamur, fatendum est, nos Evangelici Apostolicique præcepti contemptores, contra ius caritatis fraternæ, claudere à fratribus viscera nostra. Absit verò hic error procul à cordibus vestris, ut putetis electos Dei iam cum ipso regnantes, ibi tantum, ubi corporaliter eorum habentur reliquiæ, intercessionis suæ præstare beneficium posse. Quin potius credendum, eius patrociniûm in hac Ecclesiâ, quam in carne positus fideliter rexit, & in quâ finem vitæ mortalis accepit, omnibus piè quærentibus in perpetuum non defuturum. In illo enim populo, nouiter ad Deum conuerso, novos sibi seruitores & veneratores acquireret, ad quos corporali præsentia suorum pignorum accederet: sed à vobis spiritalis eius protectio numquam recedet. Sciendum quoque, quòd serenissimus Imperator id ipsum fieri præcepit. Cuius quicumque potestati resistit, Dei nimirum ordinationi resistit. Prætereâ luce clariùs ostensum est, Dei pariter, & huius ipsius sancti Patroni nostri Liborij placere voluntati, ut ad illam, in quâ cum summo cunctorum desiderio expectatur, regionem adueniat. Quod si non ita esset, ab inchoato heri istius Translationis exordio, vsque ad hanc horam tanta nequaquam miracula coruscarent. Cùm enim

110 VITA S. LIBORII PATRONI

enim placatus potiùs, quàm iratus, Deus dona cælestia largiatur, quisnam existimare potest, quòd si hoc opere offenderetur, tantis illud signorum beneficijs illustrasset? Quocir-  
cà, Fratres, ab hac intentione desistite, ne Diuinæ dispositioni comprobemini palàm resistere voluisse.

*dein recen-  
sitis mira-  
culus,*

*eum ceteris  
Deo palàm  
gratias agit:*

23. Cùm his & multis alijs admonitionibus, & maximè Dei nutu, sedata plebis commotio quieuisset, præcepit Pontifex eos, qui per totum biduum à varijs debilitatibus, seu ab immundis spiritibus, liberati fuerant, in vnum congregatos, ad conspectum multitudinis nouiter aduenientis adduci: vt eorum omnem & pristinæ calamitatis, & nouæ reparationis historiam pandens, Diuinam clementiam faceret ab omnibus vnanimitet collaudari. Vbi primùm verò populus coadunatum illud recens sanatorum agmen adspexit, & quos nudiustertius diuersis passionibus affectos, iam tunc sanissimos esse cognouit, subitò ex omni parte infinitæ multitudinis vox magnæ gratulationis exoritur. Nec datur vllus Episcopum loquentem audiendi locus: sed nemine tacente, nemine alium expectante, pro se quisque, quâ poterat, Deum voce laudabat. Cumque etiam Clerus, Episcopo incipiente, hymnũ **TE DEVM LAUDAMVS**, & quædam alia tantæ lætitiæ convenientia decantaret, immensæ illius iubilationis sonus, inexplebili supernæ laudis delecta-

lectatione, in longum diei spatium protelatus est.

a Hoc oratorium, ut ex aliâ Translationis historiâ patet, erat Ecclesia Cœnobij S. Vincentij à S. Domnolo Episc. Cenoman. (cuius natalis agitur 1. Decemb. Translatio 16. Maij) edificata; dedicata à S. Germano Ep. Parisien. qui 28. Maij colitur, restaurata à S. Aldrico, uti scribit Cornasserus.

CAPVT VI.

Miracula facta in itinere Carnotum  
versus.

24. **Q**uo tandem finito, aduocatis Badu-  
radi sæpè memoratis Episcopi Mis-  
sis, beatæ memoriæ Aldricus Antistes pretio-  
sissima illa, quæ suprâ diximus, pignora co-  
ram omni Clero & populo commendauit  
sub obtestatione grauissimâ, ut cum digno  
semper honore tractarentur, nec eis vnquam  
omnis reuerentia cultus Ecclesiastici à quo-  
libet Episcopo Paderbornensi, & Clero suo,  
quolibet tempore subtraheretur. Dehinc in-  
ter vtriusque Ecclesiæ, Cenomanicæ videlicet  
& præfatæ Paderbornensis congregationis,  
firmatâ caritate perpetuæ & fraternitatis, ad  
patriam eis redeundi licentiam dedit. Quos  
tamen vnâ cum multitudine extra ciuitatem  
aliquamdiu profecutus, cum paucis suorum  
rediit: quoniam à tam glorioso comitatu vix  
quisquam nisi inuitus separabatur.

dat Legatis  
corpus, in-  
betq; reue-  
renter ha-  
berit:

init cum ijs  
fraternita-  
tem:

25. Et